H Professor Krueger.

Zeeß

De

Somno

eique

cognatis numinibus

dissertatio inauguralis,

quam

auctoritate et consensu

Amplissimi Philosophorum ordinis

in

Academia Georgia Augusta

ad summos in philosophia honores

rite obtinendos

exhibuit

Christianus Carolus Fredericus Jeep,
gymnasii Wolfenbuttelani Collega III,

Cal. Octobr. anni MDCCCXXXI.

1831

Particula prior.

Wolfenbuttelae,
impressum formis litterarum Bindseilianis.

Vita auctoris.

Natus sum a. d. VIII. Cal. Mart. anni MDCCCII Holzmindae ad Visurgim, patre Ioanne Frederico Jeep, qui patriae urbis aerario praefuit, matre Carolina Sabina e gente Seidenstickeria. Institutione, quae in patrio gymnasio mihi contigit, tali bonarum literarum amore captus eram, ut, cum vicesimum aetatis annum egressus in almam Georgiam Augustam abiissem, patrisque iniqua valetudine pauloque post secuta morte ultra triennium in academiis versari prohiberer, quidquid temporis sacris, quibus nomen dederam, subtrahere liceret, domesticis saltem studiis in iisdem consumerem. Biennium ibi commoratus cum doctissimorum, qui hanc academiam ornarunt et vel nunc ornant, virorum, Plankii cum patris tum filii Staeudliniique scholis historicis et dogmaticis, Pottii et Eichhornii exegeticis, Schulzii et Bouterweckii philosophicis interfuissem, in academiam Halensem discessi. Anno, quem ibi commoratus sum, Knappium et Niemeyerum, quibus quid debeam, vivis non amplius praestare me posse doleo, Gesenium et Wegscheiderum, Gerlachium et Gruberum audivi, Regiique

seminarii exegetici sodalis fui. Confectis, quae ibi decurrenda erant, stadiis inter eos, quibus sacrorum cura committi olim recte posset, a consistorio, cujus in patria mea hac de re iudicium est, relatus consulis, qui Anglorum mercaturae in Curlandia praeest, liberis erudiendis adhibitus sum; at biennio post a scholae, cujus alumnus fui, curatoribus, ut ejusdem doctoribus adderer, iis, qui tali de re decernunt, commendatus cum et scholasticam eruditionem, qualis requirebatur, probassem, civium meorum filiis instituendis duobus annis operam dedi. Quibus elapsis Wolfenbuttelam evocatus in doctorum, quos urbis ejus gymnasium habet, collegio quartum ab rectore locum obtinui, et nuper in tertium evectus sum.

Argumentum libelli.

Nox, Somnus, Somnia, Mors numina ἀλληγορικά §. 1. Quî factum sit, ut antiquitas in deos retulerit et consanguinitatc junxerit 1, Noctem § 2. — 2, Somnum § 3. — 3, Somnia § 4. — Veteres per Somnia ad notiones de morte et de rebus post mortem futuris ducti § 5. — Θάνατος, Noctis filius, Somni consanguineus § 6. — Horum numinum allegoricorum a mythicis diversitas § 7. — Lessingii opinio, cui in effingendis his numinibus artifex aetate posterior priorem imitatus videbatur, refellitur § 8. Finis dissertationis § 9.

I. Nox § 10 — 16, rerum principium, genita § 10, — ejus proles, aedes § 11. — currus § 12. — Nox sideribus stipata, siderum mater, siderea, stellato peplo, nigra veste induta § 13. — alata § 14. — Ejus virtutes § 15. — Nocti furvae hostiae mactatae § 16.

II. Somnus

A, De ejus domicilio § 17 — 31.

1, de loco, ubi sedes ei assignata est a poëtis. § 17 — 25. Num ab Homero in insula Lemno? § 17. 18. — an in Olympo? § 19. — De Somni domicilio apud Hesiodum § 20, — Ovidium § 21, — Virgilium § 22, — Senecam § 23, — Statium § 24, — Lucianum § 25.

2, Somni aedes § 26 — 32.

a, carebant iis, quae somnum adimerent: luce § 26, — strepitu quocunque § 26.

b, habebant, quae somnum conciliarent: rivus murmurans praeterfluit § 28, — virgultis somniferis cinctae sunt § 29, — in dormitorio ipso vapores § 30, — lectus § 31.

B, De ministris ejus § 32 — 49. Lucianus Somnia Somni imperio subiecta § 32, alii poëtae arctis cum eo vinculis conjuncta fingunt § 33.

His praemittuntur pauca

a, de Somni armis § 64 — 71.

α, de armis Somno tribuendis poëtarum et artificum diversa ratio § 64. 65.

β, quae arma poëtae ei tribuerint? § 66 — 69.

αα, alas § 66, 67.

ββ, cornu § 68.

γγ, virgam aut ramum § 69.

γ, ex iis, quae § 64 et 65 exposita sunt, dijudicantur arma, quae a poëtis § 70, eaque quae ab artificibus Somno data sunt § 71.

b, qua ratione Somnus munere suo fungatur § 72 — 84.

α, Homeri Il. XIV. § 72, 73., qui locus comparatur cum Virgilii Aen. V. 838 sqq. § 74 — 76.

β, aliis poëtarum locis § 77 — 84, qui voces, quibus Somnum munere suo fungentem ostendunt, desumserunt

αα, a corporis motu § 77 — 80.

ββ, ab humida Somni natura § 81.

γγ, ab aspectu, quem sopitus habet § 82.

δδ, ab alis § 83,

εε, virgaque, § 84, Somno inditis.

3, quibus rebus Somni imperium contineatur s. de ejus virtutibus § 85 — 94.

a, in genere § 85, 86.

b, speciatim quietem dat

α, corpori § 87, 88.

β, animo. — De somno mentis § 89, 90. — Est frater Lethes § 91, 92. Solvit curas § 93. — Quare est Ἐπιδώτης § 94.

E. Quibuscum numinibus Somnus a poëtis conjunctus sit? § 95 — 118.

1, Gratiae amore incensus ejusque maritus § 95.

2, Amorum assecla § 96.

3, Noctis comes et auriga § 97.

4, Bacchi comes § 98.

5, Musis amicus § 99.

6, Mortis denique consanguineus, § 100 dicitur.

a, de mortis notionibus in genere § 101.

α, antiquissimi Graeci singulis vocibus & imaginibus distinxerunt

αα, diram moriendi necessitatem, Μοῖραν, § 102, 103.

ββ, mortis causas acerbas, Κῆρας § 104, 5,

γγ, discessum e vita et migrationem in loca infera § 106.

δδ, mortui statum ac conditionem § 107.

β, simili modo et Romani mortem et letum distinxerunt § 108.

b, Nec atroces mortis imagines apud poëtas passim obviae § 109. pugnant cum ea, qua Mors Somnusque consanguinei dicuntur § 110, nec Hesiodi Theog. 755 sqq. § 111.

c, Loci quidam, ubi hoc nomine occurrunt, § 112.

d, Quo sensu consanguinei dicantur § 113.

e, Quibus rationibus ad hoc commentum ducti sint § 114 — 116.

f, Morti inde Somni nomen inditum est § 117.

g, Quomodo artifices hos consanguineos finxerint § 118.

F. De Somni cultu § 119.*)

*) Licet non nisi minorem libelli partem edere nunc statuerim, omnium tamen, quae tractanda illo censui, conspectum proposui, quod reliquam quoque partem e scriniis meis promere paratus sum, ubi minor Viris Doctis haud displicuerit.

§ 1. Priusquam de Somno iisque numinibus, quibuscum propinquitate conjunctus esse fertur, agam, pauca videntur dicenda, e quibus, qualia sint haec numina, appareat. Nox, Somnus, Somnia, Mors antiquissimis jam temporibus in deorum numerum relata sunt; deorum enim non solum nomina, sed honores etiam iis tribuit antiquior aetas. Attamen a numinibus istis mythicis toto genere differunt. Quodsi enim, uti Quintilianus vult,*) allegoria est figura, qua aliud verbis, aliud sensu ostendatur, nullum est dubium, quin Nox et qui Nocte matre editi dicuntur, ἀλληγορικῶς in deos relati sint. Nam sub matre ipsa ejusque prole vel naturae vires legesque intelligendae sunt, vel quaedam cum corporis tum animi humani rationes ac conditiones. Quae cum poëtae antiquissimi, accuratiore naturae rerum cognitione destituti, haud satis perspexissent, in omnem tamen hominum conditionem maximam sive salutarem seu noxiam vim habere sibi persuasissent, eo facile delapsi sunt, ut divinum quid esse putarent, quo haec moverentur et efficerentur. Hanc vero opinionem fervidiore, qua ferebantur, ingenio amplexi, cum rerum naturae conditionisque humanae vires ac leges negligerent, in earum locum numina quaedam posuerunt, resque naturales ἀλληγοροῦντες deorum vocabulis nuncupaverunt.

*) l. VIII. c. 6. 44. Istud „aliud" restringi debere ad aliud simile, recentiores monent; alias enim omnis Ironia Allegoria esset. Cf. Vossius Inst. Orat. l. III.

§. **2.** Sed de Nocte, Somno, Somniis et Morte singulatim dicendum est, simulque de necessitudine, qua numina haec allegorica se invicem attingere dicuntur, unde, quae sit propria ipsorum natura, apparebit.

Absque dubio N o x est antiqua dea. Cum enim nostrum ipsorum animum aspectu noctis vel obscurae vel stellatae vehementissime commoveri sentiamus, quid de priscae aetatis hominibus dicamus, accuratiore naturae rerum cognitione destitutis? Tenebrae et caligo, quibus noctu quaecunque involuta sunt, alta silentia et quies totius naturae, aut luna stellaeque fulgentes coelo sereno — his omnibus quantopere animos rudiorum hominum percelli par fuit! Nihil igitur mirum est, antiquissimis iam temporibus Noctem in deas relatam piaque verecundia esse cultam.

§. **3.** Noctu autem quaecunque animalia et inanima quiescunt. Et quid est homini gratius, quam ex diutino labore quieti se dare! Per somnum praeterea animus curis et quibuscunque molestiis, quibus interdiu misere vexatur, vacuus est. Somnus denique corpus viresque recreat novisque laboribus subeundis pares nos reddit. Pro d e o i g i t u r h o m i n i b u s a d m o d u m p r o p i t i o e u m j a m p r i s c a a e t a s h a b u i t. — Jam vero noctu cum dulcissimo somno se opprimi sentirent, et quaecunque animalia tum temporis quiescere viderent, a Nocte dea somnum excitari opinati sunt. Nec id miretur, qui infantiam populorum haud ignoret abhorrere a physica illa et psychologica disputandi subtilitate, quae in explicandis legibus versatur, quibus subiectae sunt corporis et animi humani facultates. Lingua vero usi rudiori necdum perpolita cum edocti naturâ, nihil evenire nisi causa antecedente, hanc simili, quae inter patrem filiumque,

inter matrem filiamque intercedit, ratione exprimerent, factum est, ut Somnus Nocte matre editus, Noctis filius diceretur.

§. 4. Haud dissimilis est ratio somniorum; quibus multa insunt, quae admiratione et stupore homines rudiores et imperitos afficiant, quippe qui conspirationem animi corporisque et mutuam quasi contagionem non perspiciunt, nec de copulatione idearum recte judicant, tenentque leges, quibus astricta est imaginum instauratio, quae phantasiae tribuitur. Quae igitur mirabilia, obscura et tortuosa in somniorum visis objiciuntur, eos impulerunt, ut somnia pro numinibus haberent, eaque divinitus ad homines mitti censerent, quibus suaderent, consulerent vel significarent futura. Somni autem filii dicuntur, quia dormientibus offeruntur, vel ipsius Noctis, quia noctu. (cf. §. 34.)

§. 5. Iisdem vero somniis tribuendum videtur, quod antiquitas eas, quas de morte rebusque inferis habet, opiniones et imagines amplexa est. Qui enim sensu magis quam cogitatione movebantur priscae aetatis homines, somniis absque dubio eo adducti sunt, ut animum cuique esse, qui et ipse a corpore seiunctus vigeat, sibi persuaderent. Dormientis corpus videbant jacere sine sensu, torpens, mutum ac solutum. Attamen imagines etiam sopito corpore invocatae ad dormientem accedunt, quid quod usu venit nonnunquam, ut dormientium animos talis subeat cogitatio, in quam vigilantes non inciderant; unde haec? Vim quandam animi esse, qua haec efficerentur, eamque seiunctam esse a corporis dormientis sensibus collegerunt. Quod cum sibi persuasissent, esse quandam huic animae conditioni cum ea similitudinem iudicabant, quâ post mortem duratura sit. — Adde his, quod saepissime ipsis contigisse sci-

mus, per quietem mortuorum quasi spirantium effigies coram intueri, et voce, habitu gestuque agnoscere. »Qui enim« — ut Ciceronis (Tusc. I. 13.) verba usurpemus — »nondum ea, quae multis post annis tractari coepissent, physica didicissent, visis quibusdam saepe movebantur, hisque maxime nocturnis, ut viderentur ii, qui vita excesserant, vivere.« Quare non dubium est, quin, si qua spes, animas post mortem duraturas esse, iis fuerit, ea ex hoc potissimum fonte sit hausta. Auctores habes antiquos poëtas; in his quidem omnis fere persuasio de propagatione vitae post mortem visis somniorum innititur. Ut alios taceam quam plurimos, unum excitabo testem, Homerum (Il. XXIII, 65 sqq. 103 sqq.). Patroclus cum pugnans occubuisset, inhumatus iacet. Huius umbram Achilles per quietem sibi visus est videre, sepulturae honores efflagitantem. Experrectus autem Achilles haec non somniasse se, sed Patroclum ipsum coram adfuisse et secum collocutum esse credidit. Sic demum illi plane persuasum fuit, non eundem esse corporis animique interitum, sed a mortuis vitam sub terra iterari.

§. **6.** Neque igitur, quas ex hoc fonte notiones de morte rebusque post mortem futuris veteres hauserint, mireris, easdem ab iis auctas et exornatas esse imaginibus, a Nocte, Somno Somniisque potissimum desumtis. Missis ceteris de Morte dicam. Nocte matre edita esse dicitur accommodate ad tristem acerbamque istius naturam. Separatio enim ab omnibus, quae in bonis ducuntur, discessus in terram ignotam et inexploratam, gravioresque, qui mortem antecedere solent, morbi ac dolores — haec omnia quam funesta videbuntur ei, qui quaecunque ad corporis voluptatem revocat! Desinamus ergo mirari, Homericum Achillem

Ulyssi affirmare, »se operarii mercede, si posset, agrum colere malle, quam toti mortuorum catervae imperare« (Od, XI, 487,); nec quaeramus, quid sit, cur homines priscae aetatis fere omnes nihil putent lucri esse in morte. Nocte igitur, funesta dea, ex qua, quaecunque hominibus noxia et perniciosa sunt, edita dicuntur, matre etiam Mors utitur.

Ab altera tamen parte mors iucundior est. Defunctus vitâ simillimus est dormienti. Uterque iacet tranquillus, uterque omnibus curis et miseriis levatus et placidissima quiete perfusus est. Corpus sopiti videtur mortuum, mortui somno sopitum esse. Nec priscos populos haec mortis somnique vicinia atque similitudo latuit. Quid igitur miremur, somni imaginem ad mortem esse translatam. Iam Hebraeis mors dicebatur modo »somnus« *), modo »somnus aeternus« **), eandemque imaginem a Iesu Christo ***) nobis propositam habemus. Graeci vero et Latini ut hanc utriusque similitudinem indicarent, eos consanguinitate iunxerunt. Qua quidem imagine, quae ipsa a rebus nocturnis petita iisque amplificata est, quid est ad mortis naturam declarandam significantius, quid aptius ad homines vano mortis metu liberandos!

§. 7. Hinc iam licet intelligi, quid intersit inter haec numina eaque, quae proprie sic dicuntur. Mythica numina certis quibusdam iisque im-

*) Cf. Iob XIV, 12. de mortuis: וְלֹא יֵעֹרוּ מִשְּׁנָתָם

**) Cf. Ier. LI, 39. וְיָשְׁנוּ שְׁנַת־עוֹלָם וְלֹא יָקִיצוּ

***) Cf. Math. IX, 24. Marc. V, 39. Luc. VIII, 52. Joh. XI, 11.

mutabilibus lineis sunt circumscripta, ut, nisi turbata ac dissoluta ipsorum natura, neque addi quid possit neque demi. A patribus ea acceperant filii, qui pia mente retinuerunt posterisque tradiderunt, qualia patribus erant visa. Temporibus quidem et haec numina inserviunt; cum rebus, quas gerunt, commutantur; commoventur variis multumque inter se diversis cupiditatibus: naturâ vero, ingenio et moribus sibi constant. Iupiter semper ac ubique est idem, sive emittat fulmina, sive amori indulgeat, sive sit mitis sive iracundus. Par ratio est semideorum, quibus singulis ipsa quasi natura suam cuique personam imposuit.

Alia contra est ratio numinum, de quibus nunc dicimus. Sunt ea numina allegorica, nata ex phantasia poëtarum et artificum, qui animo et sensibus ea, quae vel in rerum vel in humana natura explicatu difficilia hominibusque vel grata et iucunda, vel pestifera sint, percepta et comprehensa, corpore et forma incluserunt, debitaque religione colenda civibus suis exhibuerunt. Quare hi genii, uno quasi oris halitu formati et notati, necesse est leves sint atque volatiles, habeantque nescio quid liquidi et, ut ita dicam, aetherei*). — Hinc praeterea apparet, cur poëtis, qui numina allegorica fingunt, cum rerum imagines vividiore animo concipiant, formam eorum variare liceat, prout vel

*) Cf. Herder: wie die Alten den Tod gebildet? Sämmtl. W. Stuttg. u. Tüb. 1830. Zur schönen Lit. u. Kunst, Th. 19. S. 205. »Sie — die allegorischen Gestalten — erscheinen bei Homer nur selten, kurz, unbestimmt und gleichsam in Nebel verschwindend, indeß seine Götter- und Heldengestalten mit dem bestimmtesten Dasein durch alle Gesänge hin leben und wirken. Jene erscheinen meistens nur in Gleichnissen, in Übergängen, in Reden, vorüberfliegende Kinder der Phantasie und Sprache.« —

tempus vel locus aut omnino consilium carminisque finis id postulant. Suo igitur usi sunt iure, quum alii aliter eos fingerent, figura et ingenio diversos. Ut Amorem dicam, de natalibus, habitu, figura, armis, ingenio quanta est singulorum poëtarum dissensio! Diversae hae de eodem genio sententiae ut consocientur ac solvatur quae est, non quae videtur, discrepantia, fieri omnino nequit, et operam perdituri mihi videntur, qui in eo elaboraverint.

§. 8. Qua quidem in re haud assentior Lessingio *), qui artificum saltem posteriorem quemque aetate in effingendis his numinibus ita censet secutum esse vestigia prioris, ut ad illius exemplar suam composuerit imaginem. Eiusdem quidem numinis, quod fingere volunt singuli artifices, naturam haud negaverim certis quibusdam et cuique iisdem declarandam esse signis, quae, sicuti notae quaedam, naturae illi sunt attributa, ut ab aliis numinibus facile dignoscatur. Neque tamen propterea quod alii artifices alio tempore has notas simili quadam ratione expresserint, de omnibus contendere ausim, aetate posteriorem quemque pressisse vestigia prioris eumque esse imitatum. Huic enim senteutiae adversatur quae re vera est eaque interdum magna veterum artificum dissensio, cum eiusdem numinis allegorici imaginem ab aliis alia ratione expressam habeamus. Praeterea optimus quisque minime alios imitatur: in se ipso scaturire sentit fontem, unde quae artis summa sunt, hauriat, phantasiam dico, formarum et imaginum fictricem; naturali venusti verique sensu movetur: quo duce quemqne expen-

*) Cf. Lessing: wie die Alten den Tod gebildet? Sämmtl. W. Berl. 1826. 3ter Th. S. 84.

dere oportebit, quam naturam numen, cuius imaginem fingendam sibi sumsit, habeat propriam; in qua exprimenda si forte singulorum artificum, qui variis temporibus vixerunt, similitudo conspicitur, haec non inde videtur profecta, quod alter imitatus sit alterum, sed quod omnes eodem duce ac magistro usi sunt.

§. 9. Quod vero de geniis quibuscunque valet, idem de Somno eiusque cognatis, quos pro suo quisque consilio finxit. Neque igitur, animadversa quadam singulorum poëtarum diversitate, eam solvere et quae pugnant inter se, consociare quocunque modo studebimus, sed id modo agemus, ut, collatis, qui haec numina attingunt, poëtarum locis, intelligatur, quae notiones singulis poëtis sint propriae et peculiares, quae contra vulgatae magis pluribusque aut omnibus communes fuerint. Inde elucent extrema quasi horum geniorum lineamenta, quae ab alia aetate aliter concepta atque efficta esse videbimus. Ordiamur, ut par est, a Nocte matre.

---

§. 10. **Νύξ**, Nox iam ab antiquissimis poëtis inter ea refertur numina, unde orta esse et quo recidere omnia dicuntur. In fragmento Orph. (ex Theo Smyrnaeo apud Gesn. p. 364.) in septem rerum principiis numeratur. Idem docet hymnus Orph. II., ubi vocatur *θεῶν γενέτειρα ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν*, *γένεσις πάντων* et Κύπρις, eodemque sensu in altero fragmento Orph. appellatur Μαῖα*) et *θεῶν ὑπάτη*. Quamobrem divinarum humanarumque rerum scientia singularique sapientia instructa dicitur;

*) Μαῖα Hesych. *γενέτειρα*, *τροφός*, *ὀμφαλητόμος* h. e. obstetrix, nutrix. Nox enim rerum omnium, quae sunt, veluti obstetrix est.

neque enim solum εὐφροσύνη vocatur in hymno Orph. II., quid quod in fragmento apud Procl. in Tim., quod Gesnerus exhibet p. 377, a mundi opifice de rebus creandis constituendisque consulitur, et in altero fragmento ex Comm. MS. in Platonis Phaed. a Herm. oracula edidisse dicitur, quibus commentis significari videtur, noctis silentium consiliis agitandis magnopere accommodatum esse. Similia apud Homerum occurrunt. Ei est Nox δμήτειρα θεῶν καὶ ἀνδρῶν, Il. XIV, 259. Jupiter ipse snmmam ei habet reverentiam; cohibet enim acerbam, qua in Somnum incensus est, iracundiam, timens, ne quid faciat, quod Nox moleste ferat, Il. XIV, 261 sqq. Pro rerum principio eam et Aristophanes habet in Avib. p. 573. ed. Genev.

Χάος ἦν καὶ Νὺξ, Ἔρεβός τε
μέλαν πρῶτον, καὶ Τάρταρος εὐρύς

eamque ex Erebo gravidam ovum peperisse fingit, ex quo Ἔρως h. e. δύναμις δημιουργική prodierit. — Quicunque autem inter rerum primordia Noctem retulerunt, cogitatione finxisse sibi videntur, antequam quidquam esset, crassas tenebras vel noctem fuisse, cujus quidem opinionis simile quid habet notus ille Hebraeorum de mundi creatione mythus. Omnes igitur res cum Nox tempore anteire sit visa, ex eadem tanquam causa antecedente omnia inanima et animalia ipsaque numina provenisse originemque traxisse opinati sunt.

Recessere ab mytho illo perantiquo, quicunque Noctem genitam esse dixerunt. Et hi quidem ipsi in diversas sententias discedunt. Hesiodo Nox est filia Chaûs, unde et Erebus, ipsius maritus, natus esse dicitur Theog. 123. Hyginus (Praef. p. 1.) Chaûs et Caliginis filiam eam esse dicit, et, Varrone auctore apud Munk. ad Hygini l. c., Erebum patrem habuit.

§. **11.** Ut de Noctis prole dicam, ex Erebo peperit Diem et Aethera, teste Hesiodo Theog 124, ex se ipsa alia admodum multa numina, v. c. Μόρον, Κῆρα, Θάνατον, Somnum et Somnia. Theog. 214-232. Somnum Mortemque Nocte matre editos esse, omnes fere inde ab antiquissimis temporibus poëtae consentiunt, licet de Somniorum origine diversa fingant (v. §. 34.). Numinibus, quae Hesiodus Nocte procreata dicit, adjecerunt alia aut saltem alia nomina indiderunt cum Hyginus praef. 1., tum Cicero Nat. Deor. III, 17. In universum autem si vires atque rationes, quae sub his numinibus lateant, perspexeris, intelliges, omnia, quorum causa et origo haud facile indagari possit, aut quae hominibus noxia ac perniciosa sint, Nocte matre edita dici. *)

Nox inhabitat horrendas aedes in Tartaro sitas, atris nubibus involutas, communes cum Die, quo intrante ipsa discedit, Theog. 784 sqq. cf. Orph. h. II, 10. Qua de causa, sole oriente, Nox cum in Hadem cursu declivi fertur, dicitur χθονία, h. Orph. II, 8., sub vespera vero cum, sole recedente, ipsa coelum occupat, est οὐρανία.

§. **12.** A Solis curru traducta imagine Nocti quoque currum tribuunt poëtae, v. c. Tib. Eleg. II. 1. 87. Sil. V. 24, secuti antiquissimos poëtas Graecos, e. g. Orpheum, qui h. II. Noctem ἐλάςιππον appellat. Ita factum videtur, ut Nox „*ab oceano ruere, exegisse medium iter, contigisse mediam coeli metam,*“ i. e. celsissimam partem, verticem coeli, unde ad alteram coeli oram progreditur, quemadmodum in circo currus, circa metam flexus, ad carceres recurrit, et „*praecipitare ad oceanum*“

*) Cf. Hermann Mythol. aus Homer und Hesiod. Theil I, S. 29. Anmerk.

h. e. sub finem decursus per coelum in mare descendere dicatur. *) — Bini equi currum trahunt. Quare apud Varronem de L. L. Andromacha Noctem ita alloquitur:

Quae cava coeli signitenentibus
Confici' bigis.

Aen. V. 721: „*Nox bigis subvecta.*" Val. Flacc. III, 211: „*N. conscia bigis.*" Claudian. d. Rapt. Pros. I, 275: „*caeruleis bigis.*" Culex: *Jam quatit et bijuges oriens Erebo cit equos Nox.*" — Solus Tibullus quadrigas Nocti dedit. El. III, 4. 17.

§. **13.** Noctis currum stellae comitantur vel antegredientes, vel eum sequentes. **) Theocr. II, 166 et Schol. ad h. l. Eurip. Ion. 1151. Graecos imitando expresserunt Latini, ut Tibullus Eleg. II, 1. 87:

Ludite, jam Nox jungit equos, currumque sequuntur
Matris lascivo sidera fulva choro.

Nox enim est siderum mater, hocque nomine eam invocat Euripides Electra v. 54:

ὦ Νὺξ μέλαινα, χρυσέων ἄςρων τροφέ.

Cf. Brukhusium ad Tib. l. c. ***), qui ipsam Noctem opinatur hinc dici „*sideream*" Valerio Flacco V, 692. Adde Propertium, qui sub „*corona deae sidereae*" intelligit „*stellas.*" Mihi vero uterque videtur Orphea secutus, cui Nox dicitur ἀςεροφεγγής h. II. Hinc factum est, ut poëtae Noctem sideribus exornaverint. Ovidius Met. XV, 31 ei tribuit „*caput sidereum,*" quod „*effert,*" ubi tenebrae oboriuntur. Orpheus stellato peplo indutam

---

*) Cf. Heyne Exc. II. ad Virg. Aen. II, 7, 8.

**) Cf. Joh. Passeratium lib. Conject. c. 12.

***) Brukhusius laudat viros doctos, qui de Nocte siderum matre egerunt, Achill. Stat. h. l. Muret. Var. Lect. V, 2. Turneb. Adv. XXIV, 27. Schott. Observ. II, 13. Douza F. Notar. IV.

fingit, appellans ἀστροχίτωνα Argon. 1026. Pariter Juvencus initio l. II.:

— furvamque super Nox caerula pallam
Sidereis pictam flammis per inane trahebat.

Quod vestis, qua Nox induta est, stellis est distincta, Aeschylo Prometh. 23 dicitur ποικιλείμων. Cf. Stanley ad Aeschyli Choëph. 658. Alia imagine eandem rem expressit Orpheus h. VI, 10, cui stellae dicuntur αὐγάζοντες ἀεὶ νυκτὸς ζοφοειδέα πέπλον. — Quoniam vero haud quaelibet nox sideribus est illustris, alii poëtae nigrum, furvum vel caeruleum colorem Nocti indunt. Hinc apud Homerum legitur Νὺξ δνοφερά, μέλαινα, ἐρεβεννή, κελαινή, Stat. Silv. I, 6, 85: „*caerula*“ Theb. II, 527: „*palla*“. Virg. Aen. V, 721: „*atra*“. Porro ipsi „*fuscae alae*“ (Virg. Aen. VIII, 309.) ejusque currui „*caeruleae rotae*“ (Tib. III, 4, 17.) tribuuntur. Denique omnes fere poëtae hujus coloris veste eam induunt. Graecos, e quibus locum Eurip. Ion. 1050, ubi vocatur Νὺξ μελάμπεπλος, attulisse sufficiet, secuti sunt Latini: Statius Theb. III, 416: „*nigro amictu*“, Silius XIII, 613: „*terras coeco* i.e. *atro, Nox condit amictu*“, XV, 284: „*Nox atro circumdatum corpus amictu.*“ Artifices etiam modo nigro amictu, modo velo nigro stellato, circa caput volitante, repraesentarunt, cf. Montfauc. P. I. P. II. p. 360. pl. 214.

§. **14.** Alii poëtae huic imagini, qua Nox curru per coelum vehitur, aliam substituerunt nec minus aptam, quâ praecipiti cursu fertur. Alis enim instruxere eam iisque nigris. Euripides Orest. 178 eam vocat κατάπτερον; Aristophani autem dicitur Νὺξ ἡ μελανόπτερος. Neque minus apud Virgilium Aen. VIII, 369 Nox „*fuscis tellurem amplectitur alis.*“

§ 15. Noctis virtutes et quae hominibus largitur bona diligenter persequitur Orpheus h. II. Est εὐφροσύνη v. 5. (cf. § 10.) ὑπνοδότειρα v. 7., ληθομέριμνος, h. e. „*mortalia pectora curis purgans.*" Sil. XV. 612, vel „*grata laboratae referens oblivia vitae;*" praeterea ἀγαθήν τε πόνων ἀνάπαυσιν ἔχουσα, κλύουσα λόγων ἱκετηρίδα φωνήν v. 13, et hanc ob rem πᾶσι ποθεινή, πολυόλβιος v. 12, φίλη πάντων v. 7. et ipsa μάκαιρα θεά v. 3.

§. 16. Ut diis inferis furvae hostiae mactari solent (cf. Od. X, 517. XI, 25 Val. Max. II, 4) ita et Nocti. Loca infera ingressurus Aeneas „*atri velleris agnam*" mactat „*matri Eumenidum magnaeque sorori.*" Aen. VI. 250. Mater autem Eumenidum est Nox (cf. Aen. XII, 846. Aeschyl. Eumen. 322.) et „*Noctis soror*" Terra, ut Servius bene annotavit. Ejusdem rei testis est et Statius, in cujus Thebaide I, 506 Nox his verbis compellatur:

— — — nigri tibi, Diva, litabunt
Electa cervice greges, lustraliaque exta
Lacte novo perfusus edet Vulcanius ignis.

---

§ 17. Nocte matre Somnum editum esse plurimi poëtae statuerunt. De quo cum accuratius agere placet, primum de ejus domicilio videamus.

Homerus quidem Junonem Somnum in insula Lemno convenire facit. E verbis ejus Il. XIV, 231: ἔνθ' ὕπνῳ ξύμβλητο, Hermannus*) conjicit, hac in insula Somno sedem fixam atque stabilem ab Homero assignatam esse. Haud satis acute, ut mi-

*) Mythol. Th. I. p. 268.

hi videtur. Homerus enim his verbis minime ostendit, ibi Somni aedes fuisse, sed Junonem ibi Somno obviam factam esse. Attamen restat utique quaestio, qua de causa Juno potuerit sperare, fore ut ibi deprehenderet Somnum, quippe quae hoc consilio Lemnum profecta sit. Deos quidem dicas commorari gratissime, in quibus locis maxime colerentur; Apollini Tenedum Il. I, 38, Minervae Athenas Od. VII, 81, Veneri Cyprum omnium gratissimam esse sedem; sic Somnum, quem Lemnii praecipua religione prosequuti essent, in hac insula deversari gratissime. Quem quidem cultum primum Lemniades Somno adhibuisse contendas eo consilio, ut soporis, quo obrutos interfecissent maritos, gratiam referrent Somno ut auctori. Hanc esse causam, cur, tempore intermisso, ab omnibus insulae incolis ut omnium deorum maxime ipsis propitius cultus sit. Ideoque Junonem spem concepisse animo, concludas, se Somnum in insula Lemno deprehensuram esse. Subtilis quidem haec oratio quamquam proxime ad verum accedere videatur, rejicienda tamen est, cum nec in Homero nec in alio quodam scriptore inveniantur rationes, quibus ea firmari possit. Ex Homeri loco Il. XIV. accuratius modo eum explicueris, nihil efficitur, nec ullum praeterea hujus rei vestigium in ejus carminibus apparet. Nec qui aetate propius accedunt ad Homerum poëtae ita locum accepisse videntur. Ut de Hesiodo et Ovidio dicam, in describenda Somni aula uterque imitando expressit, quod Homerus Od. XI, 15 sqq. de Cimmeriis memoravit, ille in Theog. 758 sqq., hic in Met. XI, 592 sqq. Vel sic tamen Hesiodus Somnum in Erebo ponit, Ovidius in terra Cimmeriorum. Nonne permirum igitur videtur, hos poëtas Homeri quidem verbis usos in describenda Somni aula, recessisse

tamen ab ejus sententia? Nulla vero cum sit causa, cur hac in parte corrigendus ipsis visus sit Homerus, recte mihi concludere videor, nec ab Hesiodo nec ab Ovidio locum ita acceptum esse, quasi Homerus Somni aedes in insula Lemno posuerit. Tacent omnes deinceps auctores et de cultu, quo Lemnii Somnum prosecuti esse dicuntur, et de ipsius in hac insula domicilio. Quid quod occasione hujus rei commemorandae ipsis oblata, ne dicam obtrusa, de industria rejecisse eam videntur, v. c. in Sophoclis Philoctete 827. Chorus invocat Somnum; scena est in insula Lemno, nec tamen ulla Somni ut dei Lemnii facta est mentio. Quodsi Sophocles Lemnum Somno tanquam sedem assignasset, num chorus verba ad Somnum faciens, silentio hoc transiisset? Jam vero quum ne levissimum quidem argumentum, quo Somnum a Lemniis cultum hanc insulam inhabitasse firmetur, neque ex Homero neque ex alio quodam vetere scriptore repeti possit, num dubitandum videtur, quin Homerus Junonem talem ob causam sperasse finxerit, fore ut in hac insula ipsum conveniret? *)

§. 18. Scholion quoddam ad Homeri l. c. docet, Pasitheam, Gratiam, quam vehementer dilexerit, sectatum, hanc vero apud sororem, Vulcani uxorem, deversatam esse. Optime haec. Vulcanus in matrimonium duxerat ex Gratiis unam, quam Homerus Il. XVIII, 382 simpliciter Χάριν, Hesiodus autem Aglajam nominat Theog. 945. Lemnus autem ei omnium terrarum carissima fuit Od. VIII, 284, διὰ τοὺς ἐκεῖ κρατῆρας τοῦ πυρός, ut Eustathius addit. In hanc insulam praeterea decidit, ex Olympo

*) Cf. interpretes hujus l., praecipue: Köppen's erklärende Anmerkungen zu Homer's Ilias, et Heyn.

detrusus, amiceque ibi exceptus est ab Sintiis Il. I, 593. Huc tendit saepissime (Od. VIII, 283.), Gratiaque carissima eum comitatur. Hanc visura convenit Pasithea, Pasitheam, cujus amantissimus erat, Somnus subsequitur, Somnum Juno. — Haec vero bene comperta habuit, Pasitheam Lemnum esse profectam, propterea quod Gratias Junonis comites fingit antiqua religio (Pausan. II. 17.), quam eandem hoc loco Homerus sequitur. Indicio est, quod Juno hanc sese Gratiam Somno desponsuram promittit Il. XIV, 267. Ex eodem hoc loco intelligas, haud latuisse Junonem Pasitheae, quo Somnus captus fuerit, amorem. Quid mirum igitur, Junonem, quod Somnum ibi deprehensuram se putaret, ubi ea tunc temporis commorabatur, ut eum conveniret, Lemnum petiisse. Quare inde non licet colligere, ab Homero Lemnum tanquam perpetuum domicilium Somno assignatam esse *).

§, **19.** Neque in altero, quem huc referre possis, loco, quid sibi visum sit de Somni domicilio, disertis verbis dixit Homerus. Jupiter οὖλον Ὄνειρον mittit ad Agamemnonem Il. II, 6 sqq., ut eum ad proelium committendum spe victoriae incitet. Quem locum Heynius in exc. VIII ad Aen. V, 838 his verbis laudans: „*antiquior haec est Somni advocandi ratio, quandoquidem apud Homerum Jupiter de Olympo Somnum mittit*", ita intellexisse videtur, quasi Homerus Somno in Olympo locum, quo habitet, dederit; subjungit enim alias aliorum poëtarum de Somni domicilio sententias. Sed per-

*) In eodem Schol. §. 18. l. subjicitur aliud longius petitum: quod Lemnus abundabat vitibus; vinum autem somnum parit. Cf. §. 98. Tertia ratio est apud Eustath. »*casu factum, ut hac in insula Juno in Somnum hominum domos et urbes peragrantem* (v. 361.) *incideret,*» Cf. Heyn. ad h. l.

peram. Ὄνειρος enim non est Somnus, sed Somnium, cui in aditu inferorum sedes ab Homero assignata est Od. XXIV, 12 sqq. Fac autem, Ὄνειρον esse eundem, qui ὕπνος, quid impedit, quo minus Somnum ex ipsius sedibus a Jove in Olympum arcessitum indeque ad Agamemnonem esse missum statuamus? Neque loco Virgilii Aen. V, 838, ubi

— levis aethereis delapsus Somnus ab astris

dicitur, probari potest, Somni aedes in Olympo fuisse. Ipse enim Heynius verba „*ab astris*“ de advolante, quo Burmannus spectare videatur, accipi posse haud negat. Mihi quidem cum in illo loco Homerico, ubi Jupiter Somnium mittit, tum in hoc Virgilii, ubi Somnus ab astris delabitur, Somnii et Somni quasi divinitus elargita immissio expressa videtur. Nemo enim nostrûm scit, quomodo ab Somnio aut ab Somno incidente velut desuper occupetur. Ab astris igitur, ex aëre, e coelo delabi, a Jove ipso mitti Somnum Somniumque, poëtae passim statuunt. Nec inepte, quamquam haec aliaque verba nequaquam docent, utriusque domicilium in astris, aut apud Jovem in Olympo, aut ibi esse, unde venire dicuntur. Cujus interpretationis veritatem confirmat ipse Homerus. Quod enim Achilles Il. I, 63 monet: »καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστι«, Somnia a Jove sive divinitus hominibus mitti docet. Jupiter enim est Πανομφαῖος Il. VIII, 250, idemque ipsi Apollini artem vaticinandi tribuisse dicitur H. in Merc. 469. Huc Barthius ad Theb. I, 340 refert etiam Aen. II, 268:

Tempus erat, quo prima quies mortalibns aegris
Incipit, et dono divum gratissima serpit —

Licet enim codices non dissentiant, Barthio tamen Virgilius h. l. scripsisse videtur „*incidit*“. Nec temere; nam expressis verbis „*dono divûm*“ datum dicit. Haud dissimilis est ratio loci apud Quintum

Smyrn. V, 395, qui suavi imagine Somnum coelo venientem, coelumque instar aurae repetentem fingit. — Accedit, quod poëtae, si qui Somni aedes in Olympo apud deos superos collocassent, vehementer ipsi inter se essent adversati. Est enim ex diis inferis, Nocte matre editus, consanguineus mortis, cui utrique aedes sunt in locis inferis. Fieri igitur non potest, ut poëtarum quis Somnum, sejunctum a matre fratreque, ad deos superos retulerit.

Ex copiosiori hac disputatione efficitur, Homerum, quid de Somni domicilio visum sibi sit, haud plane dixisse. Alii vero poëtae fere omnes in eo consentiunt, ut Somni aedes in locis inferis aut prope ea loca collocent.

§. **20**. Ex iis, qui ad Homeri tempora propius accedunt, poëtis jam Hesiodus ante Tartarum Somni Mortisque aedes sitas fuisse fingit Theog. 715. In extremo occidentis fine aditus Tartari est, Theog. 746 cf. 517, prope τὰ νείατα πείρατα γαίης καὶ πόντοιο Il. VIII, 478. Est βάθιστον βέρεθρον, profunda vorago, et quidem subter terra, nec in terra, ut Hermanno *) videtur. Homerus enim hanc voraginem ὑπὸ χθονὸς Il. VIII, 14, et ἔνερθε Ἀΐδεω sitam esse dicit, et Hesiodus Theog. 728: ὕπερθεν (Ταρτάρου) γῆς ῥίζαι πεφύκασι καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης. Homerus Il. VIII, 16 eam dicit τόσσον ἔνερθ' Ἀΐδεω, ὅσον οὐρανός ἐσ' ἀπὸ γαίης, quod Hesiodus Theog. 720 sqq. uberius exponit, „*molem ferream* dicens, *coelo demissam, decimo demum die in terram, indeque per interius terrae spatium decem rursus diebus lapsam in Tartarum esse perventuram*". Muro aeneo, per Neptunum exstructo, portisque ferreis cingitur; limen aeneum, Il. VIII, 15,

*) Mythol. Th. I. p. 403.

cf. Theog. 811, nec ut Nitschio placet, pavimentum aeneum, tenebrae crassae et perennes, procellae furiosae horribilesque denique Centimani prohibent, quo minus quis inde possit evadere, Theog. 728 sqq. cf. Il. VIII, 479. Κρονος, a Jove regno pulsus, huc detrusus est Il. XIV, 303, Titanesque aeterna caligine obruti hic sedent Theog. 728 sqq. Ante Tartarum Atlas stat coelum sustentans, cui ex adverso horribiles Noctis et Diei aedes exstructae sunt, circa quas Noctis liberi habitant. Ibi Hadis etiam atque Persephones aedes, quas Cerberus custodit, sitae sunt Theog. 797 sqq.

§. **21**. Ab Hesiodo verbis quidem discedit Ovidius, re autem cum eo consentit, Met. XI, 470 sqq. Ceyx ad Apollinis Clarii templum profectus naufragio perit. Halcyonae de mariti salute sollicitae Juno mittit Somnium indicatque, eum periisse. Quod quidem commode ita tractavit poëta, ut copiosissimam Somni Somniorumque descriptionem intexeret. Transfert Somni aulam in caliginosam prope Cimmerios speluncam, Met. XI, 591 sq. Cimmerii autem prope lacum Avernum habitasse dicuntur. Situs est hic lacus in Magna Graecia inter Bajas et Cumas, impeditis undique continuisque saltibus circumdatus, quae solem et aëra arcentes perpetuis lacum tenebris nebulisque involvunt. Ephorus, Cumanus ipse apud Strab. V, p. 375 al. 244, memoriae prodidit, „*prisca aetate montium, qui lacum cingunt, cavernas hominibus pro domibus fuisse natamque hinc esse de Cimmeriis fabulam*". Inde quod νεκυομαντεῖον hîc est institutum, ut idem Ephorus refert, nata videtur esse opinio, manes hîc ex inferis evocari posse. Quae quidem opinio Homeri adhuc temporibus pervulgata erat; Ulyssem enim haec loca adiisse fingit Od. XI, 13 sqq. Ad Oceani fines

haec Cimmeriorum civitas sita erat, Od. l. c. Claudian. I, 3. 123. Perenni nebula et caligine tectae dicuntur hae regiones Od. XI, 15 sqq. Ovid. XI, 592. Tib. IV, 1. 64. Hîc Ulysses, sacris rite perfectis, animas defunctorum ex inferis evocat Od. XI, 36, ibidemque est, Ovidio teste,

— longo spelunca recessu
Mons cavus, ignavi domus et penetralia Somni.

§. 22. Pari modo et Virgilius Somni aedes constituit in faucibus adituque locorum inferorum. Hunc vero aditum transfert in easdem has circa lacum Avernum regiones, Aen. VI, 237 sq.

Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro nemorumque tenebris —

Lacus, cui spelunca imminet, est Avernus; speluncam hanc vapores exhalare dicit tam pestiferos, ut aves supervolitantes iis enectae decidant (v. 239 sqq.), quamquam hoc aëris contagium ipsi lacui Averno tribuit Strabo V, 244. — Aeneam, hanc speluncam ingressum, excipit lux dubia, qualis est in silvis, coelo nubilo, v. 268 sqq. „*Ante vestibulum primisque in faucibus Orci*" (v. 273.) Mors et quaecunque vicina ei, vel in ea sunt mala, vel quibus ipsa arcessitur, habitant; inter haec (v. 278) „*consanguineus Leti Sopor*". — *)

§. 23. Virgilium imitatus est Seneca in Herc. fur. 659 sqq. Somnus in Erebo habitat, cujus aditus est in terra Spartana prope Taenarum per rupem altam v. 662. Intrantem excipit dies nocte mixta, v. 668, ut apud Virgilium. Via est proclivis; facile descenditur; sed remeandi facultas nulla; hoc enim non permittunt umbrae, nec Lethe flexuosa v. 678 sqq. Vultur, bubo et stryx infausta

*) Heyne Exc. II. ad Aen. VI.

ibi sedent v. 687. Una cum Sopore, qui opacam taxum tenet, sunt ibi eadem fere mala, quae, ut Morti vicina, Virgilius constituit in locis inferis. Solum sterile, tellus foeda, immotus aër, nox atra, ne multa

— — cuncta moerore horrida
Ipsaqne Morte pejor est Mortis locus.

§. **24.** Ad Ovidium et Virgilium proxime accedit Statius in describendo loco, quo aedes Somno exstructae sunt, Theb. X, 84 sqq. haec addens:

Stat super occiduae nebulosa cubilia noctis
Aethiopasque alios, nulli penetrabilis astro
Lucus iners, subterque cavis grave rupibus antrum
It vacuum in montem, qua desidis atria Somni
Securumque larem segnis Natura locavit.

Suum vero ingenium secutus esse videtur, quod Somni aulam transtulit in „*Aethiopas alios*", qui ubinam locorum habitaverint, quaeritur. Vocabulum Αἴθιοψ explicatur ὁ κεκαυμένην ἔχων τὴν πρόσοψιν, i. e. „*qui tostam faciem habet*", vel ut dixit Tibullus: „*fusci, quos India torret*". Similiter Theocritus ἡλιοκαύστους eos appellat. Quicunque igitur populi, licet remotissimi a se invicem et diversissimi, fusco aut nigro colore ab Europaeis differebant, Aethiopes sunt nominati. Homero dicuntur ἔσχατοι ἀνδρῶν Od. I, 23 ἐπ' Ὠκεανοῖο ῥέεθρα Il. XXIII, 205, omnesque ei in duas partes divisi sunt, quorum οἱ μὲν δυσαμένου ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνίοντος habitant Od. I, 23. 24. Herodotus VII, 70 τοὺς ἀπὸ ἡλίου ἀνατολέων, sive τοὺς ἐκ τῆς Ἀσίης pariter distinxit a τοῖς ἐκ τῆς Λιβύης. v. Pompon. Mel. III, 10. 11. Occidentales illos, qui Africam incolunt, quin Statius intellexerit, nullum est dubium; dicit enim: "*alios*" h, e. non illos orientales. Praeterea lucum stetisse canit „*super occiduae nebulosa cubilia noctis*"; occidentalis denique plaga convenit magis Somno, quippe cujus regnum fere cum solis occasu incipit.

§. **25.** Lucianus denique (Ver. Hist. l. II.) fingit Somniorum insulam et civitatem. Insula est ἀμυδρὰ καὶ ἀσαφὴς ἰδεῖν. Habet autem et ipsa Somniis aliquid simile; „*cedit enim accedentibus et subterfugit ac longius se subducit*". Urbs altis moenibus cincta est, iridis colore simillimis. Urbem ingressis ad dextram est Noctis templum, quam inprimis ex diis colunt, et juxta τὸν ὕπνου λιμένα est aedes gallo gallinaceo sacra; ad sinistram autem regia Somni: οὗτος γὰρ δὴ ἄρχει παρ' αὐτοῖς. Medio in foro fons est, quem Καρεῶτιν appellant. Delubra duo adjacent, alterum Imposturae, alterum Veritatis.

§. **26.** Diximus de locis, in quae Somni aedes a poëtis translatae sint; restat, ut exponamus, quomodo eas instruxerint. — Carebant primum omnibus, quae somnum adimerent.

Lux fugat somnum, crepusculum contra atque caligo alliciunt et adducunt eum. Quamobrem ab Somni aedibus lux larga abest, quippe quam dormientis oculi refugiunt. Apud Statium Theb. X, 116 Somnus nec sonitu, nec voce Iridis perculsus, sopore obrutus jacet, donec

— radiis Thaumantias omnes
Impulit, inque oculos penitus descendit inertes.

Neque igitur eum unquam sol lucidus radiis intuetur (Theog. 758), nec Mortem fratrem. Apud Ovidium Met. XI, 594 Somni aula sita est loco,

Quo nunquam radiis oriens, mediusve cadensve
Phoebus adire potest.

Praeterea humus ibi exhalat nebulas mixtas caligine, dubiumque est, num dies etiamnum ibi sit, an nox jam oboriatur, v. 595 sq., id quod „*dubiae crepuscula lucis*" videntur indicare. Lucianus Ver. Hist. l. II Somniorum urbem alta cingit silva, in qua magna vespertilionum vis sedet, quae natura

sunt lucifugae. Praeterea in urbe Nocti templum exstructum hancque deam ab incolis diligentissime cultam, totam vero insulam obscuro et nebuloso aspectu esse vidimus §. 25. Quae omnia accommodate ad incolarum regisque naturam ficta sunt, quippe quibus nox aut tenebrae adeo densae, ut lucis usum eripiant, gratissimae sint. Qua de causa Silius Ital. Pun. X, 340 „*quietis regnantem tenebris*“ dixit Somnum, nisi his verbis poëta Somno sedem in locis inferis assignare voluit. — Quicunque autem poëtae vel in Tartari aditu vel in ipso Tartaro posuerunt Somni aedes, eo ipso lucem ab iis abesse ostenderunt; in his enim locis inferis vel crepusculum dubiaque est lux, vel crassa caligo. Cf. §§. 20 — 24.

§. **27**. Praeterea strepitus quicunque gravior abest ab Somni aedibus, quippe quo nihil est molestius ei, qui somno velit indulgere. Somnus igitur et ipse cum sit vehementer somniculosus (cf. §. 51.) quemvis aversatur strepitum. Mirum Statii commentum est, quod ante aedium limen constituit quinque custodes tardos et ignavos, qui curarent, ne quid sonum ederet, Theb. X, 89. Sunt hi custodes „*Quies opaca*“, quae claram lucem fugit, „*Oblivia*“, quae „*pigra*“ dicuntur, propterea quod nolunt meminisse ullius rei, et „*nunquam vigili torpens Ignavia vultu*“, h. e. vigil nunquam vigil; in ipso vestibulo sedent „*Otia*“, h. e. somni tempus, cum omnia tacent et quiescunt, et „*Silentia pressis pennis*“, quae licet alata, pennas tamen haud elevant, quippe quarum stridor silentio sit contrarius. Prohibent praeclari hi custodes, quo minus venti vel aves sonitum reddant. Nec maris, licet sit turbidum procellisque agitatum, nec coeli fragor ibi est; quid quod amnis quamvis inter saxa scopulosque labens, murmur emit-

rere non audet. Placatissimae contra quietis imaginem referunt atra boum armenta, solo recubantia, marcidaque gramina et herbae. — His consentit Ovidius Met. XI, 597 sqq. Animalia maxime vigilia et ad nocturnos strepitus sollicita tacent: ales, ὄρνις, h. e. gallus gallinaceus *) ibi haud canit; nec canes hîc latrant, nec anseres clangunt, nec fera pecudesve, nec arbores, ventis agitatae, sonum reddunt. Nulla denique janua est toto domo, quae, cardine verso, stridorem reddat, v. 608, et quamquam Ovidius „*custodem in limine nullum*“ ponit, tamen ibi „*muta quies habitat*“ v. 602.

§. **28.** Habebat deinde haec Somni aula ea, quae somnum conciliarent. Ut strepitu acriori, quominus obdormiscamus, impedimur, lenior tamen semperque aequabilis somnum allicit. „*Leve murmur aquae*“ (Ovid. Fast. III, 17.) facit somnos, et dulcissimus ille, quem paulisper mota arborum folia cum leniter praeterfluentis rivi murmure miscent, strepitus „*somnos invitat leves*“ apud Horat. Ep. II, 27. Haud minus suavem imaginem Ovidius animo objicit. Ante Somni aulam praeterfluit XI, 603:

> Rivus aquae Lethes, per quem cum murmure labens
> Invitat somnos crepitantibus unda lapillis.

Lapilli dicuntur „*crepitantes*“, quippe quorum objectu trepidantes undae murmur faciunt, quo quidem murmure nihil facilius atque jucundius somnos facit. Qua de causa Silio etiam lympha dicitur „*somnifera*“.

---

*) Eidem ab incolis urbis Somniorum, Luciano auctore, (cf. §. 25.) templum ideo exstructum esse puto, ut eum sibi propitium haberent et obstringerent, ne cantu quietem turbaret. Fortasse vero auctor respexit ad ἀλεκτρυοφωνίας. cf. §. 15.

§. **29.** Papavera aliaque virgulta somnifera circa Somni aedes proveniunt. Apud Ovidium X, 605

> ante fores antri fecunda papavera florent
> innumeraeque herbae, quarum de lacte soporem
> Nox legit, et spargit per opacas humida terras.

Pari modo Lucianus Somniorum urbem silva undique cinctam esse dicit, cujus arbores sunt μήκωνες ὑψηλαὶ καὶ μανδραγόραι. Apud Statium vero Somnus ipse tapetas floribus, qui somnos faciant, fartas incubat Theb. X, 100 sqq. Pari modo et artifices *) Somnum papavere instructum exhibent. Haud enim ignorabat antiquitas, papavere **) et mandrago-

---

*) Cf. Maffei T. CLI. Gallerie de Dresde 146. Statue di Venezia P. II, f. 39, ubi Somnus exhibetur in leonis pelle jacens et circumdatus mole symbolorum, ut corona e papavere facta, et lacerta aliisque animalibus, quae somno vehementer indulgent; signum a Tollio post Cic. Or. pro Arch. et a Drak. ad Sil. X, 351 editum; Mariette Traité des pierres gravées T. II, p. 1. n. LX, ubi Somnus ex manu Noctis, cui tres Ὄνειροι a tergo stant, papaverum manipulum accipit; Galleria di Firenze Statue T. III, p. 132, ubi rhytio, sopore repleto, instructus est.

**) Virgilius Georg. I, 78 papavera dicit „*lethaeo perfusa somno*". Cf. Ovid. Fast. IV, 547. Maxima autem vi eam papaveris speciem, cujus semen sit pusillum nigrumque, praeditam esse, Plinius docet H. N. XX, 18, quippe quae „*non vi soporifera modo, verum, si copiosior hauriatur, etiam mortifera per somnum sit*". Haec sopiendi vis papaveris succo vel meconio inest. Hinc intelligas, quae sub „*soporis*" voce subjiciendae sint sententiae. Princeps enim et propria hujus vocabuli significatio est „*succus papaveris*", quod comprobatur his Plinii verbis: „*e nigro papavere sopor gignitur*". Qui succus cum habeat vim sopiendi, „*medicamentum soporem faciens*" dicitur sopor. Est locus Frontini Strateg. II, 5: „*Maharbal — cum sciret, gentem avidam esse vini, magnum ejus modum mandragorâ permiscuit, cujus inter venenum ac*

râ *) somnum facillime concitari.

§. 30. Porro in dormitoriis solent esse vapores, quos dormientes exhalant, neque Somni dormitorium iis caret. Ipsius enim apud Statium X, 103:

— — exhalant vestes et corpore pigro
Strata calent, supraque torum niger efflat anhelo
Ore vapor.

Ovidius igitur Iridem, peracto mandato, statim abiisse dicit XI, 630, quod vaporis vim haud ulterius tolerare potuerit **). Pari modo et apud Statium X, 129

— — excedit gravior nigrantibus antris
Iris et obtusum multo jubar excitat imbri.

§. 31. Denique in Somni dormitorio est lectus, „*quo cubat ipse deus*" Ovid. XI, 610 sqq. Erat „*plumeus*" plumis confertus, eoque magis ad somnum invitans, apud Statium contra stipatus floribus soporiferis (cf. §. 29.), „*hebeno sublimis in*

---

soporem media vis est"; et Cornelii Nepotis Dion. c. II: „*quo ille commotus, ne agendi esset cum eo Dioni potestas, patri soporem medicos dare coëgit*" — sed malum et mortiferum; pergit enim Nepos: „*hoc aeger sumto, ut somno sopitus, diem obiit supremum*". Inde demum provenit usitata „*soporis*" significatio, quâ somno gravius quid esse docet Apulejus de Herbis c. 53: *herbae papaveris silvatici si quem perunges, somnum ei cum sopore objicies*". —

*) Aeque ac papaveri, mandragorae etiam vis quaedam *ναρκωτικὴ καὶ ὑπνωτική* inest. Apud Athenaeum *ὁ μανδραγόρας ἀνθρώπους κοιμίζει*, unde explicanda sunt verba Luciani: *ὅπου γε καθάπερ ὑπὸ μανδραγόρου καθεύδεις.* Proverbio *μανδραγόραν ἐκπεπωκέναι* dicuntur, qui in rebus gerendis dormitant et veterno quodam correpti sunt. Plura vide apud Diosc. IV, 76. Theophr. H. Plant. VI, 2. Plin. H. N. XXV, 13.

**) Sentit enim dea somnum sibi irrepere, quemadmodum Met. VIII, 812 Nympha a Cerere ad Famem missa, ob foedum et odiosissimum ejus aspectum „*visa est sensisse famem*".

atro" h. e. spondae sublimi ex hebeno impositus, tectus „*pullo velamine*", ut adeo totus lectus esset „*unicolor*" i. e. ater, accommodate ad Somni naturam.

§. **32.** Jam vero Somni aedes cum perlustraverimus, quaestio oritur, quos ministros ipsi tribuerint poëtae? —

Luciano Somnus est rex, cujus imperio Somnia, quae insulam urbemque incolunt, sunt subjecta. Constituit autem duos σατράπας καὶ ὑπάρχους, Ταραξίωνα τε τὸν Ματαιογένους καὶ Πλουτοκλέα τὸν Φαντασίωνος. Praeterea Somniorum oraculo praefectus est Ἀντιφῶν, ὁ τῶν ὀνείρων ὑποκριτής; hunc apud Somnum honorem sortitus.

§. **33.** Praeter quinque custodes illos (cf. §. 27.) Statius Somnia etiam adesse Somno dicit Theb. X, 106 — 111, nisi hi versus cum Barthio subditicii videntur. Neque vero minus ab aliis poëtis Somnus Somniaque arctissimo vinculo inter se conjuncti dicuntur. De his igitur Somniis quid visum sit poëtis, haud alienum a re erit breviter hîc intexere.

---

§. **34.** De Somniorum origine diversae sunt poëtarum sententiae. Altera est Hesiodi, qui genita ea esse autumat Nocte matre, οὔτετι κοιμηθεῖσα, sine ullius maris opera, Theog. 212 sq. Orpheus etiam h. III, 5 Noctem invocat: μῆτερ ὀνείρων. Prisca potissimum aetate haec obtinuit sententia habetque multum, quo nobis probetur. Propterea enim quod noctu somniamus, Nox Somnia peperisse dicitur, et quidem sine concubitu, quia sola Nox facit, ut somniemus. — Haud minus aptum ad rem, sed aetate sane posterius est alterum commentum, quo Somnus Somniorum pater dicitur.

Utitur eo Ovidius Met. XI, 633, ubi Somnus *„pater e populo mille natorum suorum“* Morphea excitasse dicitur. Cui commento ansam dedit, quod somnio non utimur nisi per somnum. Omnes, quantum scio, post Ovidium illud sunt amplexi. Seneca haud quidem diserte, his tamen Somnum verbis in Herc. fur. 1070 alloquitur:

> Veris miscens falsa, futuri
> Certus et idem pessimus auctor.

Quas igitur partes alii poëtae Somnio recte dant, easdem Seneca hîc Somno tribuit. Est enim *„futuri auctor certus,“* ratione somniorum habita, quibus eventus respondet, et *„idem pessimus,“* si ad falsa Somnia respexeris. Jam vero Somno cum Seneca tribuerit, quod, si rem vere aestimemus, Somnii est, illum pro Somniorum auctore s. patre habuerit necesse est. — Euripides denique Somnia a Tellure nata dicit in Hecub. 71: πότνια χθὼν μελανοπτερύγων μᾶτερ Ὀνείρων, cujus sententiae rationem hanc reddit scholiastes: ἐκ μὲν τῆς γῆς αἱ τροφαὶ, ἐκ δὲ τῶν τρόφων οἱ ὕπνοι, ἐκ δε τῶν ὕπνων οἱ ὄνειροι.

§. 35. Porro poëtae de Somniorum sede paululum dissentiunt. Homerus in Orci aditu ea collocasse videtur; procorum enim animae cum a Mercurio ad infera compellerentur, παρ' Ἠελίοιο πύλας καὶ δῆμον Ὀνείρων ἤϊσαν, quas quidem portas occidentis solis esse puto. Medio contra in Orco Virgilius Somniis sedem assignat Aen. V, 282, et quidem in ulmo *). Ovidius Met. XI, 613 circa So-

*) Somnia aeque ac Somnus solent passim in arboribus considere. Praeivit Homerus Il. XIV, 267, ubi Somnus, quum in pinum altam escendit, ejus frondibus se involvit. Pro ea taxum dicit Seneca Herc. fur. 690:

> Horrent opaca fronde nigrantes comae,
> Taxo imminente, quam tenet segnis Sopor.

mnum deum in antro prope Cimmerios (cf. §. 21.) ea jacere fingit, pariterque Statius ea Somno adesse dicit (cf. §. 33.), cujus apud Aethiopas sit sedes. (cf. §. 24.)

§ 36. Sequitur, ut de Somniorum portis dicam. Primum loci, qui de iis agunt, recensendi sunt. Insignis est Homeri locus Od. XIX, 562 — 567. Penelope Somnia admodum diversae naturae esse pronuntiat:

δοιαὶ γάρ τε πύλαι ἀμενηνῶν εἰσὶν ὀνείρων·
αἱ μὲν γὰρ κεράεσσι τετεύχαται, αἱ δ' ἐλέφαντι.

„*Per fores illas, ex sectili cornu factas,*“ pergit, „*excipi somnia, quae nuntient res vere eventuras; falsa vero esse, nec eventum respondere, quae excipiantur per fores ex sectili ebore factas.*“ Homerum expressit et Coluth. 311: Nox

— δοιὰς δὲ πύλας ὤϊξεν ὀνείρων
τὴν μὲν ἀληθείης, κεράων δ' ἀπελάμπετο κόσμῳ.
Ἔνθεν ἀναθρώσκουσι θεῶν νημερτέες ὀμφαί.
Τὴν δ' ἐλεφαντίνην, κενεῶν θρέπτειραν ὀνείρων.

Quaeri potest, cur poëtis Somno tamquam Somniis in arbore sedem assignare solemne sit. „*Ea diis alatis, levibus, vagis bene convenire*“ Heynius ad Virg. l. c. censet. Quod facile probaverim, nisi poëtae subtiliori causa ad id commentum adducti mihi viderentur. Somnus et Somnia sunt dii lucifugae (§. 26). Tenebris delectantur noctuque res suas agunt. Loca igitur tenebricosa cum iis gratissima sint, occasione data, ibi se abscondunt. Arbores, quas occupare dicuntur, naturâ sunt frondosae iisque de industria a poëtis epitheta induntur, quae hanc ipsarum naturam designent. Apud Homerum l. l. Somnus frondibus pini est *πεπυκασμένος* (cf. tamen §. 73.); apud Virgilium ulmus est „*opaca*“ et — quod magni momenti est — Somnia haerent „*sub frondibus*“; et in loco Senecae taxus „*imminet*“. His adducor, ut his numinibus in arbore quadam umbrosa lucifugae ipsorum naturae convenienter sedem assignatam esse credam.

et Virgilius Aen. VI, 894. Aeneas cum infera loca ingressurus esset, poëtae alia, quam quâ intraverat, via inde emittendus videbatur. Ingeniose satis incidit in duplices illas Somnii portas; sed apponam ipsa poëtae verba:

Sunt geminae Somni portae: quarum altera fertur
Cornea; qua veris facilis datur exitus umbris;
Altera candenti perfecta nitens elephanto;
Sed falsa ad coelum mittunt insomnia manes.

„*Manes*" qui Virgilio sunt, Horatio Od. III, 27, 41 dicitur „*imago*"

Vana, quae porta fugiens eburnâ
Somnium ducit —

Pro „*portis* Virgilii *corneis*" habes apud Prop. IV, 7. 87: „*pias portas*" h. e. e quibus pia somnia veniunt, et ab eodem portae eburneae vocantur „*ebur malignum*," aeque ac Statius in Silv. V, 3, 289, ut umbra patris redeat, his precatur verbis:

Inde tamen venias, qua porta malignum
Cornea vincit ebur, somnique in imagine monstra
Quae solitus —

Docent hi loci primum, Somnia ex inferis locis, propria ipsorum sede, (cf. § 35) „*emitti ad coelum*" ut Virgilius loquitur, h. e. ad terras superas; porro duas Somniorum portas; denique per portam corneam prodire somnia vera, falsa contra per eburneam.

§ **37.** Duas cur poëtae statuerint Somniorum portas, causa satis aperta est. Somnia enim diversae ad eventum naturae esse putarunt. Distinxerunt vera s. rata, quorum eventus certus sit, a falsis, quae non evadunt (cf. § 43 sqq.) Quod cum sibi persuasissent, a se impetrare non poterant, ut somnia quaecunque, naturâ licet diversissima, eadem portâ emitterent. Ad rem igitur accommodate duas finxere portas, alteram Somniorum ratorum, alteram falsorum. — Ab hoc commento Lucianus

recessit. Quatuor enim portis Somniorum urbem instruxit hacque in parte Homerum corrigit his verbis: οὐ δύο, καθάπερ Ὅμηρος εἴρηκεν: „*binas ad mollitiei campum* (τὸ τῆς βλακείας πεδίον) *patere: alteram ferream, alteram testa constructam, per quas horrenda et saeva immitiaque Somnia emitti dicantur; binas vero ad portum et mare, quarum altera cornu, altera ebore exstructa sit.*“ Fonti praeterea in medio foro duo adjacent delubra Ἀπάτης καὶ Ἀληθείας, ibique et illorum adytum et oraculum est.

§ 38. Quaerenti vero, quanam ratione ebur et cornu ad Somniorum portas translata sint a poëtis, variae offeruntur opiniones. Vulgatam maxime et quae veri simillima videtur, liceat repetere ex Heynii Exc. XV. ad Virg. Aen. VI.

In prisca vita eboris et cornu usus celebrior fuit, quam sequentibus temporibus foresque passim ebore aut cornu indutae. Jam vero cum „*ebur, etsi candore suo lucem promittit, tamen non transmittat visum, adeoque fallat,*“ eburneis ex portis somnia falsa, ex corneis contra vera emitti dicuntur, propterea quod cornu pellucidum est. Heynius laudare potuisset Plinium, de cornu hoc monentem H. N. XI, 37: „*apud nos in laminas secta translucent atque etiam lumen inclusum latius fundunt multasque alias ad delicias conferuntur.*“ Haec interpretatio apposita est quoque a Macrobio ad Somn. Scip. I, 3. — Subjicit Heynius, in suspicionem se incidisse, totum hoc commentum petitum esse a lusu verborum: „*sunt* ὄνειροι, *quorum est* τὸ ἐλεφαίρεσθαι, *itaque veniunt* διὰ ἐλέφαντος, *alii sunt, qui* κραίνουσι *iique veniunt* διὰ κεράων.“ Ingeniosa est suspicio, sed nimis arguta mihi quidem videtur. Talem enim verborum lusum abhorrere ab antiquitate recentiorumque temporum sa-

porem referre arbitror. — Placet igitur prior illa interpretatio: cornu eborisque usus in vita prisca frequens fuit; necnon „*sermo per rerum adumbrationes explicabatur, quo etiam Sapientibus erat utendum, ut symbolicis rerum assimulationibus animorum sensa exponerent, rerum similitudine aliqua vel animadversa, ut hîc, vel excogitata.*

§ 39. Ingentem Somniorum esse numerum statuunt poëtae; nec temere; nam quot, quaeso, somnia dormientibus nobis objiciuntur! Apud Homerum Od. XXIV, 12, et Hesiodum Theog. 212 habes δῆμον ὀνείρων, et apud Lucianum Somniorum copiosam urbem ipsamque insulam. Ovidio teste Met. XI, 614, Somnia sunt

— — — totidem, quot messis aristas,
Silva gerit frondes, ejectas littus arenas.

Obstant Iridi Somni aedes intranti, ut manibus ipsi sint dimovenda. Virgilius Aen. VI. 284 sub omnibus ulmi foliis ea haesisse dicit, et apud Statium Theb. X. „*trabibus aut postibus haerent aut tellure jacent.*“

§ 40. Ut autem Somnia numero infinita sunt, ita eadem inter se diversissima, et quidem primum ratione eorum habita, quibus objiciuntur. Aliis enim alia mittuntur et cuique sua. Lucianus τῶν ὀνείρων delectum habet, utpote quorum οἱ μὲν ἐς βασιλέας, οἱ δ' ἐς θεοὺς, οἱ δ' ἐς ἄλλα τοιαῦτα sint διεσκευασμένοι. Ovidius e Somniorum populo secernit, quae virtute et arte maxime excellunt Met. XI. 633. Primus omniumque princeps est Morpheus, a μορφῇ, figura, sic dictus; est enim „*artifex et simulator figurae*“; solos vero ille homines imitatur. Animalium contra figuras simulat alter, qui a diis Icelos h. e. *figurae simulator*, a voce ἴκελος s. εἴκελος, *similis*, ab hominibus vero appellatur Phobetor, quia perterrefacit homines.

Tertius denique est Phantasus, qui effingit, quaecunque anima carent. Quorum vires ac virtutes cum recensuerit Ovidius, subjicit haec v. 644:

Regibus hi ducibusque suos ostendere vultus
Nocte solent: populos alii plebemque pererrant.

§ 41. Somnia porro diversissima sunt forma, quod Lucianus l. l. his verbis docet: *αὐτῶν μέντοι τῶν ὀνείρων οὔτε φύσις οὔτε ἰδέα ἡ αὐτή.* Idem affert exempla: *οἵ μὲν μακροί τε ἦσαν καὶ καλοὶ καὶ ἡδεῖς, οἵ δὲ μικροὶ καὶ ἄμορφοι.* Huc pertinent Homeri *ἀμενηνοὶ ὄνειροι* Od. XIX, 262, i. e. *ἀσθενεῖς*, „*infirmia, debilia somnia*", eademque ante oculos obversata esse videntur Tibullo, apud quem II, 1. 90 habes: *incerto Somnia vana pede*". Incerto autem ac lapsabundo pede ferri dicuntur, quia male cohaerent et imagines rerum dormientibus exhibent modo veras, modo falsas, plerumque autem confusas, mendaces et ineptas. Est haec Brukhusii explicatio, quae et Rondelio *) placuit, aptissima sane ad Somniorum naturam. Neque significantius quid in ea conferri potest pedibus incertis vel tenui et invalido corpore (cf. tamen §. 59.). Ad hanc Somniorum deformitatem pertinet etiam, quod poëtae passim nigra ea vocant, ut Ovidius Fast. II, 662, ubi „*Nox somnia nigra secum trahit*", nisi verius statuas, a Nocte hunc in Somnia colorem translatum esse. Simili modo Statio etiam in Theb. X dicuntur „*Noctis opaca cohors*".

§. 42. Redeamus jam, unde degressi sumus, ad Lucianum. Pergit: *καὶ οἵ μὲν χρύσεοι ὡς ἐδοκοῦν, οἱ δε ταπεινοί τε καὶ εὐτελεῖς· ἦσαν δ' ἐν αὐτοῖς καὶ πτερωτοί τινες, καὶ τερατώδεις, καὶ ἄλλοι καθάπερ ἐς πομπὴν διεσκευασμένοι.* Inter Somnia dicit fuisse quaedam alata. Orpheus

*) Exposit. Signi veteris Tolliani p. 294 Fortuitorum Jac. Tollii.

h. LXXXIV, qui est Ὀνείρου, eum vocat τανυσίπτερον, et in Euripidis Hecuba v. 71 μελανοπτέρυγες Ὄνειροι occurrunt. Apud Ovidium Met. XI, 650 „*Morpheus volat, nullos strepitus facientibus alis.*" *) Neque temere alis Somnia instructa finguntur, cum eadem celeritate, qua dormientem accedunt, aufugiunt.— Ab artificibus Morphea ut virum aetate provectiorem effictum et binis iisque majoribus alis in humeris, totidem minoribus in capite praeditum esse, testis est Winkelmannus **). Et Pausanias II, 10 in Aesculapii templo ἄγαλμα Ὀνείρου fuisse memoriae prodidit, quod quanam fuerit forma, haud adjicit.

§. **43.** Variae huic Somniorum formae respondet interna ipsorum natura atque conditio. Primum enim discernuntur vera et falsa (cf. §. 37.)

De Somniorum veritate si quaeris in genere, fuere jam inter veteres, qui, supra vulgus

---

*) In explicando tamen hoc Ovidii loco haud assentior Gierigio, qui Morphea eam ob causam nullum alis strepitum fecisse statuit, ne excitaret Somnum dormientem. Mihi vero poëta summam velocitatem his verbis expressisse videtur; ipse enim versibus sqq. addit:

— — — intraque morae breve tempus in urbem
Pervenit Haemoniam.

Etiam Homerica numina praecipiti cum feruntur cursu, solum haud tangunt, sed pedibus junctis iter radunt, vel aërem secant. Columbarum igitur motu placido et leni, suspenso gradu et levi incessu Homerus dearum incessum declarari posse putavit Il. V, 778. (cf. §. 70 not.) Simile quid habes de columba apud Virgilium Aen. V, 213:

— — — — mox aëre lapsa quieto
Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.

Sicut hîc columba tam celeriter volat, ut alas non movere videatur, ita Morpheus volatu tam praecipiti fertur, ut alae suspensae strepitum non faciant.

**) Allegorie p. 76.

sapientes, sana ratione duce, somniorum visa explicarent et ad causas naturales revocarent. Prisca jam fuit opinio, animam in somniis, corpore quodammodo mortuo, saltem sopito, omnia munia obire, quibus membra hominis vigilantis fungerentur. Hippocrates lib. de Insomn. penitus ista exacta sic proponit: ὁπόταν δε τὸ σῶμα ἡσυχάσῃ, ἡ ψυχὴ κινευμένη καὶ ἐπεξέρπουσα τὰ μέρη τοῦ σώματος διοικεῖ τὸν ἑαυτῆς οἶκον, καὶ τὰς τοῦ σώματος πράξεις ἁπάσας αὕτη διαπρήσσεται. τὸ μὲν γὰρ σῶμα καθευδὸν οὐκ αἰσθάνεται, ἡ δὲ γρηγοροῦσα γινώσκει, καθορῇ τε τὰ ὁρατὰ, καὶ ἀκούει τὰ ἀκουστὰ, βαδίζει, ψαύει, λυπεῖται, ἐνθυμέεται, ἐν ὀλίγῳ ὁκόσαι τοῦ σώματος ὑπερησίαι, ἢ τῆς ψυχῆς, ταῦτα πάντα ἡ ψυχὴ ἐν τῷ ὕπνῳ διαπρήσσεται. Vere ex Epicuri sententia Somnia nil nisi vana ludibria et umbrae rerum temere volitantes visa sunt Petronio Arb., cujus hos versus Barthius laudat Advers. LI, 3:

> Somnia, quae mentes ludunt volitantibus umbris,
> Non delubra deum nec ab aethere numina mittunt,
> Sed sibi quisque facit. Nam cum prostrata sopore
> Urget membra quies, et mens sine pondere ludit
> Quidquid luce fuit, tenebris agit. —

Porro eandem hanc Somniorum cum iis, quae vigilantes obeunt, muneribus conjunctionem expressit scite Lucretius IV, 961:

> Et quoi quisque fere studio devinctus adhaeret
> Aut quibus in rebus multum sumus ante morati,
> Atque in qua ratione fuit contenta magis mens,
> In somnis eadem plerumque videmus obire.

Idem censuit et Aristoteles, monente Cicerone de Div. II, 62. „*Dormientibus enim*“ dicit, „*obversari solere visa varia ex inhaerentibus reliquiis earum rerum, quas vigilantes gessissent aut cogitassent.*“ Videtur idem sentire et Tibullus III, 4, 1., qui adeo sollicite ipse sibi persuadere cupit, vanam esse hanc totam Somniorum disciplinam, ut contendat, scientiam rerum futurarum non pos-

se acquiri, nisi ex sortibus divinis et responsis haruspicum v. 5. 6. Somnia enim v. 7:

— — fallaci ludunt temeraria nocte
Et pavidas mentes falsa timere jubent.

Mox tamen dubius haeret, et perterritus denuntiatione rei vehementer luctuosae non omnem somniis fidem negare sustinet.

§. **44**. Etsi igitur singuli fuere prudentiores, quibus nihil videretur somniis esse, quod praeter naturam accidat, communis tamen est omnium fere nationum, antiquarum in primis, opinio de somniorum veritate. Quid vero sit, quod indoctos illos et barbaros priscae aetatis homines impulerit, ut divinitus somnia deferri et somniando nos vera videre censerent, supra jam diximus § 4. Quamquam quid dico incultos et barbaros? Quin etiam exempla suppetunt plurima hominum, in cultura ingenii multum progressorum, qui hunc sibi errorem eripi non sint passi.*) Quid quod defensus est a philosophis, qui omni jure supra vulgus sapientes dicuntur? **) Jam etsi acutiores non omnibus somniis credendum esse et intelligerent et faterentur, — nihil enim tam insane et monstruose cogitare potest, quod non somniaverint homines — tamen cum omnem somniorum fidem elevare religioni haberent, acquieverunt plerumque in eo, quod his verbis ab Ennio expressum apud Ciceronem de Div. II, 61 legitur: „*Aliquot somnia vera, sed omnia non est necesse.*“ Haec ipsa plurimorum et priscae et posterioris aetatis poëtarum opinio est. Homerum enim licet Achillem Il. I, 63 absque ulla restrictione dicentem inducat:

---

*) Cf. Vellej. hist. II, 70 de Caesare, Suet. Aug. 91 de Augusto, et Brukh. ad Tib. III, 4. 5.

**) Cf. Cicero de Div. I, 3 et 51.

„*Somnia divinitus deferri*" (cf. §. 19) et ὀνείρους in genere θείους, θεοπέμπτους appellet, vera tamen somnia a falsis discernere demonstravimus § 37. Et Homerum in eo sequutus est Virgilius et multi deinceps alii poëtae.

§. 45. Jam vero oritur quaestio, quaenam tandem somnia ab antiquitate pro certis ac ratis sint habita, de quibus addubitare nefas sit?

Ad tempus primum, quo offeruntur, quod attinet, matutina vulgo veriora habebantur vespertinis, quorum suspecta fides erat. Comprobatur haec opinio multis poëtarum locis, ut Horat. Sat. I, 10, 32:

— — vetuit tali me voce Quirinus
Post mediam noctem visus, cum somnia vera.

Cujus opinionis causam Schol. Porph. hanc addit: „*ferunt post mediam noctem somnia veriora esse, quia tunc jam mens et cibo et potu purior est*". Similia leguntur apud Moschum Id. II. ab init.

Νυκτὸς ὅτε τρίτατον λάχος ἵσταται, ἐγγύθι δ' ἠώς —
Εὖτε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων —

et apud Ovidium Heroid. XIX, 195:

— sub Aurora, jam dormitante lucerna,
Somnia quo cerni tempore vera solent.

Tempus hoc dicebatur ἀλεκτρυοφωνία s. τετάρτη φυλακή s. νυκτὸς ἀμολγός. Quamobrem Penelope somnio de filii reditu vehementer gaudet, utpote quod sibi dormienti hoc noctis tempore oblatum sit. Od. IV, 840. *)

§ 46. Quod ad locum attinet, ubi Somniorum visa dormienti offerebantur, ea, quibus quis in templo dormiens usus est, pro veris habebantur. Vide-

*) Cf. Plato Crit. § 2. Cic. de Divin. I, 28. Stat. Theb. II, 120. Quint. Calab. I, 133 sqq. Eustath. ad Homeri l. l.

bantur enim haec a deorum numine profecta, de quibus addubitare religioni habebant. Soliti igitur sunt veteres captandis rerum eventibus somnia quaerere excubantes in delubro numinis cujusdam. Dicebantur hi „*incubare*" et ἐγκοιμᾶσθαι. Hoc a Graecis hauserunt Romani. Pausanias in Attic. „*Amphiaraum* dicit, *quo tempore inter deos relatus sit, futurorum cognitionem per somnia constituisse. Ad hujus oraculum*, pergit, *quicunque accedit, purgari primum debet. Purgatio est, ut deo res sacra peragatur, cui et omnibus, quorum nomina in ara sculpta sunt, sacrificant. His peractis, mactati arietis pellem substernunt atque ita dormiunt, somni significationem referentes.*" Aegroti hoc inprimis faciebant in Aesculapii templo (Aristoph. Plut. 653. Paus. Attic. 31.), alii in templo Minervae, *) vel Inûs, **) vel Fauni, ***) vel ipsius Jovis. ****) Et Orphei hymnus LXXXVI ex his excubationibus et incubationibus templorum ex-

*) Sic a Pindaro XIII, 89—133 Bellerophon in Minervae templo dormiisse dicitur, ut divinitus subjiceretur sibi, qua ratione Pegasum condocefaceret. Neque spes eum fefellit. Expergefactus frenum, quod equo injiceret, a dea accepit.

**) Cf. Pausan. III, 26: Κατὰ δὲ τὴν ὁδὸν ἱερόν ἐςιν Ινοῦς καὶ μαντεῖον. μαντεύονται μὲν οὖν καθεύδοντες, ὁπόσα δ᾽ ἂν πυθέςθαι δεηθῶσιν, ὀνείρατα δείκνυσί σφισιν ἡ θεός.

***) Cf. Virg. Aen. VII, 85—91, ubi sacerdos ipse (v. 86) incubat et is qui consulebat.

****) unde est: „*ille incubat Jovi*" i. e. dormit in Capitolio, ut responsa accipiat. Plaut. Curc. II, 2. 16:

Namque incubare satius te fuerat Jovi
Tibi qui auxilium in jurejurando fuit.

n. 18:

Siquidem incubare velint, qui pejeraverint,
Locus non praeberi potis est in Capitolio.

Cf. Meibom. de incubatione in fanis deor. medicinae causa olim facta. Helmst. 1659.

plicandus est. Ὄνειρος invocatur singulari numero et ut veracissimus interpres ac nuntius deorum voluntatem cum hominibus communicat. *) Hoc igitur invocatur nomine

ἄγγελε μελλόντων, θνητοῖς χρησμῳδὲ μέγιστε —

qui

γνώμας μακάρων αὐτὸς καθ' ὕπνους ὑποπέμπει.

Laudantur praeterea ejus virtutes, magnaque, quibus commendetur, bona praedicantur. Ad has incubationes denique respicit ipsius ὀνείρου etymologia, si hac in parte Eustathii fides est. Vocabuli enim originem ducit παρὰ τὸ ὂν εἴρειν i. e. ἀληθὲς ἀγγέλλειν, alicubi ab ὀνεῖν i. e. ὠφελεῖν. Utraque derivatio, missis falsis somniis, ad ea tantum se refert, quae in templo oblata pro veris aut utilibus habebantur.

Fuere contra, qui et haec somnia, in templis dormienti oblata, pro vanis haberent, quibus nequaquam fides habenda sit. Saepissime Lucianus irridet hanc fatuitatem et Petronius in loco s. l. (cf. §. 43) his ut omnibus omnino somniis fidem habendam negat.

§ 44. Philosophi vero posterioris temporis cum haud omnibus somniis fidem habendam esse intelligerent, nulla quidem temporis et loci, quo offerrentur, habita ratione, eximia tamen distinxerunt subtilitate, quae pro veris essent habenda necne. Insignis est locus Macrobii in Somn. Scip. I, 3: „*Omnium, quae videre*

---

*) Quare fieri nequit, ut οὖλος, qua voce primo versu invocatur, in malam partem accepta, sit „*perniciosus*", ut Spanhemius autumat. Οὖλος i. q. ὅλος est „*integer, sanus, robustus, potens*, ὀξὺς, πυκνὸς, *prudens.*" Cf. Ernesti ad Call. h. in Jov. 52. et Gesner. ad Arg. 955. Prudens, sapiens, apte ad ipsius, ut deorum nuntii, munus Somnium vocatur, nisi mavis per „*varium*" interpretari, h. e. Somnium, quod imaginum alias super alias exhibet. Cf. Schol. ad Theocr. VII, 68 et §. 41.

sibi dormientes videntur, quinque sunt et diversitates et nomina: aut enim est ὄνειρος *secundum Graecos, quod Latini* somnium *vocant, aut est* ὅραμα, *quod* visio *recte appellatur, aut est* χρηματισμὸς, *quod* oraculum *nuncupatur, aut est* ἐνύπνιον, *quod* insomnium *dicitur, aut est* φάντασμα, *quod Cicero, quotiens opus hoc nomine fuit*, visum *vocarit*". De veracitate autem singulorum generum haec adjicit: „*ultima ex his duo cum videntur, cura interpretationis indigna sunt, quia nihil divini apportant:* ἐνύπνιον *dico et* φάντασμα". Qua ratione Macrobius tria illa priora somniorum genera inter se distinxerit, qui scire cupit, accedat ipsum; duo vero haec, quae inania arbitratus est omnique divinatione indigna, qua ratione ipsi visa sint definienda, referamus: „*Est* ἐνύπνιον, *quotiens cura oppressi animi corporisve s. fortunae, qualis vigilantem fatigaverat, talem se ingerit dormienti;* φάντασμα *vero est, cum inter vigiliam et adultam quietem in quadam, ut ajunt, prima somni nebula adhuc se vigilare aestimans, qui dormire vix coepit, adspicere videtur irruentes in se, vel passim vagantes formas, a natura s. magnitudine s. specie discrepantes, variasque tempestates rerum vel laetas vel turbulentas*". —

§. 48. Alterum, quod intercedit inter somnia ex interna eorum natura, discrimen ejusmodi est, ut non egeat longa explicatione. Sunt enim alia blanda et jucunda, quippe quae eum, cui offeruntur, boni aliquid, quodcunque sit, olim sperare jubent; alia tristia et infausti ominis. Si monerent, dicebantur Somniorum omina; Plaut. Merc. II, 1. 2:

Miris modis dii ludos faciunt hominibus
Mirisque exemplis omina in somnis danunt.

Ovid. Ep. Dej. 40:

> **Ominaque arcana nocte petita monent. —**

sin terrerent, *somniorum minae*, Seneca Oct. 754:

> **Delubras et aras petere constitui sacras —**
> **Caesis litare victimis numen deum,**
> **Ut expientur noctis et Somni minae.**

Hinc *somnia expiare* dicebantur, qui mala, quae somnio portenduntur, sacris religiose deprecabantur et arcebant, ut eventu carerent; si bona essent, ut res somnio significata eveniret; si ambigua, ut in bonum verteretur. Petron. c. 64. Sueton. Galba XVIII, n. 6. Varia autem erat superstitio somnia expiandi. Faciebant rem divinam. Cum dormientibus somnia contigerant, narrabant illa Vestae vel diis penatibus, Prop. II, 29. 27:

> **Vadit et hinc castae narrabat Somnia Vestae,**
> **Quae sibi quaeque mihi non nocitura forent —**

vel Apollini, qui propterea Ἀποτρόπαιος, Ἐξακεςτήριυς et Προστατήριος vocatus est, vel etiam Soli, ἵνα ἐπειδὴ ἐναντίος ἐστὶ τῇ νυκτὶ ὑποτροπὴν ἐργάζηται, uti Scholion docet ad Sophocl. Electr. ἡλίῳ δείκνυσι τ' ὄναρ. Quem ritum vocabant ἀποπέμπεςθαι, ἀποδιοπομπεῖςθαι, et ὑποτρέπεςθαι ἔννυχον ὄψιν, proprie ἀποτροπιάζεςθαι τῷ ἡλίῳ. Eurip. Taur. 43:

> ἃ καινὰ δ' ἥκει νὺξ φέρουσα φάσματα
> λέξω πρὸς αἴθερ', εἴ τι δὴ τόδ' ἔςτ' ἄκος.

Porro loto corpore somnia expiabant. Abluebant autem corpus aqua viva; (haec enim lustrationibus adhiberi consuevit) eâque fluviali. Pers. II, 16. Prop. IV, 4. 24. Sil. VIII, 124:

> **Sub lucem ut visa secundent,**
> **Oro coelicolas et vivo purgor in amni —**

vel marinâ; namque credebatur θάλασσα κλύζειν πάντα τ' ἀνθρώπων κακά; nonnunquam vero calidam fuisse adhibitam, Aristophanes suggerit Ran. II, 86:

> Ἐκ ποταμῶν δρόσον ἄρατε

Θέρμετε δ' ὕδωρ,
Ὡς ἂν ῥεῖον ὄνειρον ἀποκλύσω.

Praeterea faciebant sacra, somniaque expiabant vel mola sancta. Tib. I, 5. 13:

Ipse procuravi, ne possent sacra nocere
Somnia, ter sancta deveneranda mola.

et III, 4. 9:

Et vanum ventura hominum genus omina noctis
Farre pio placant et saliente sale. *)

vel oblatis victimis, Seneca l. l. et Mart. VII, 53, 1:

Semper mane mihi de me mera somnia narras,
Quae moveant animum sollicitentque meum.
Consumpsi salsasque molas et thuris acervos,
Decrevere greges, dum cadit agna frequens.

Denique pergebant ad Oneirocritam, cui officio vetulae plerumque, utpote in superstitionem mire proclives, praeerant. Prop. II, 4. 16:

Quae mea non decies somnia versat anus.

§. 49. De ratione denique, qua Somnium res suas gerit, pauca subjiciamus. Sunt Orphei h. 86:

ἡσυχίῃ γὰρ ὕπνου γλυκεροῦ σιγηλὸς ἐπελθὼν
προςφωνῶν ψυχαῖς θνητῶν.

Orphea secuti sunt omnes deinceps poëtae. Homerus notat locum, quem Somnium, dormienti speciem oblaturum, occupet, Il. II, 20, στῆ δ' ἄρ' ὑπὲρ κεφαλῆς. Et omnibus fere post Homerum poëtis

---

*) Quod Tibullus priori loco „*molam sanctam*" dixerat, posteriori verbis: „*farre et sale*" significat. Quorum vocabulorum quaenam sit potestas, docet Servius ad Virg. Ecl. VIII, 82: „*sparge molam h. e. far et salem*". Far pium s. mola casta, sancta, salsa ita fit: „*Virgines Vestales tres maximae ex Nonis Majis ad pridie Idus Majas alternis diebus spicas adoreas in corbibus messuariis ponunt; easque spicas ipsae virgines torrent, pinsunt, molunt atque ita molitum condunt. Ex eo farre virgines ter in anno molam faciunt, Lupercalibus, Vestalibus, Idibus Septembribus, adjecto sale cocto et sale duro*".

solemne est, hunc Somnio locum assignare, si quid cum dormiente communicare velit. Neque aptius ad naturam quid videtur *). — Neque minus jam apud Homerum Somnium, deposita numinis forma, aliam et quidem humanam induit. Somnium, ad Agamemnonem missum a Jove, Il. II. ab init., Nestoris formam sumit. Acute satis et ad rem accommodate; hortatur enim Somnium, ut Agamemnon invadat Trojanos. Quod consilium ut exsequeretur, facillime permoveri debebat Nestoris auctoritate, cujus igitur speciem Somnium induit. Ut enim numina, mortali cuidam sese oblatura, speciem amici s. familiaris ejus plerumque solent induere, ita et Somnium, si dormienti visa objicere vult, ei sese offert sub amici s. familiaris specie. Pariter et Somnus in formas pro tempore rationibusque varias discedit. Ut alia omittam exempla, avis speciem induit Il. XIV, 290. (cf. §. 70. not.), idemque apud Virgilium Aen. V, 842, Palinurum oppressurus, Phorbantis personam gerit. — Cujus quidem commenti haec est causa. Veteres persuasum sibi habebant, deos passim specie humana induta, commercium habere cum hominibus, eo quidem consilio, ut humanas res componerent ac gubernarent. Quam ob rem a mortali si quid eximii gestum vidissent, ad cogitationem statim delapsi sunt, esse numen, quod haec tanta perpetrasset sub specie humana. Od. XVII, 484. VII, 201. Iidem igitur, ab amico moniti per somnum, sub amici specie ipsum deum videre sibi visi sunt **).

*) Sic Penelopis serva supra ejus caput astitisse dicitur, quum dormientem excitaret. Od. XXIII, 4.

**) Cf. Heyne Exc. XIII. ad Virg. Aen. II.

Errata.

p. 15. not. Tod.
- 17. lin. 11. summam.
- 27. lin. 5. Κρόνος.
- 30. lin. ult. — qui.
- 38. lin. 11. dicuntur.